

ξὺν Θεῷ

32

DISQVIVISIONUM ORGANICARUM VICESIMA PRIMA.

De

ADSTRUENDIS ET EVERTENDIS PROBLEMATIS, INVENTIONE

Medii & divisione è capp. 27. 28. 29. 30.

31. & 32. l. i. prior. Analyt.

QUAM

in Illustri Academia SALANA

PRÆSIDE

M. MICHAELE WOLFIO,

Philosophiæ Naturalis Professore

Publico.

Pro viribus tuebitur

JOHANNES GEORGIUS RÜDIUS,

RATISBONENSIS.

Ad diem 8. Novembris,

Horis locoq; consvetis.

J E N Æ


Typis Johannis Beithmanni.

ANNO M. DC. XVI.

Handwritten mark

Handwritten note: VIRO Clarissimo, Huic ac Doctissimo. Johanni Wilcober. Cas. Gymnasij Ratisb. Con. et digni. Prae. et Fautori om. servantiæ colend.





VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILIS-
SIMIS, ANTIQUA VIRTUTE ET AUTHORI-
TATE AMPLISSIMIS, PRUDEN-
TISSIMISQUE

Dnn. CONSULIBUS, TOTI-
QUE ORDINI SENATORIO LI-
beræ Imperialis Ratisbonensium Reipu-
blicæ spectatissimo, PATRIÆ Luminibus
splendidissimis Dnn.

PATRONIS, MECOENA-
TIBUS ET EVERGETIS
*omni animi observantiâ etatem
colendissimis*

Hanc διάσπεψιν λογικὴν

In

Grati animi τεκμήριον

Studiorum σύμβολον

& debitæ observantiæ monumentum

dicat & consecrat

Johannes Georgius Rüd, Ratisbon.
Respondens.



AD JUVENEM MORIBUS

& Doctrinâ Ornatissimum Dn. RÜDIUM,
Respondentem.



Um tibi sint RÜDI Logicæ meletemata cordi,
Erudies mentem, & Sophiæ penetralia tanges,
tanges, atque in iis hærebis nocte dieque.

Sic fiat, cœptis tu clemens annue JOVAH!

Quantum in me positum est, quantum & præstare potis sum,
Ecce! tuos promptus conatus usq; juvabo.

M. Michaël Wolfius Philosophiæ Naturalis
P. P. Præses.

M E O

Contubernali ac Sympatriotæ charif-
simo.

SI quis supremos Parnassi scandere colles
Potariq; velit liquidâ Permessidos unda.
Illum non somni, seviq; Cupidinis ignes,
Non Bacchus teneant; nec inanis cura fritilli.
Ergo quid ausurus, cui illuc contendere mens est?
Perpetuus comes esto labor: nam cuncta labore,
Diiq; Deaq; homini vendunt bona. Præmia certè,
Magna laborantes expectant. Quod bene nosti;
Nam quoties vidi te seræ ad lampada noctis
Ingenii Genium studiis obferre sagacem.
Id quod & ipse probas, Logicâ cum Gymnade testem
Te facis ipse tuum, & doctrina signa paratæ
Das manifesta tuæ. Quod restat, Jupiter ausus
Prosperet; ut Patriæ sis gloria magna; Parenti

Non

Non minor: & cunctis certum solamen Amicis.

Deproperab. Φιλίας ἐνεκα

Joan. Jacob. Geyer Ratisb.

DUm tu Pierii sydus ter amabile cœli
O RUDI, cordis mellea mulla mei.
Prælia lato animo tentas & spargis arenam
Per Sophies campos arvaq; Thespiadum
Arridet Phœbus, gestit Latous Apollo,
Mnemosides plaudunt voce manuq; tibi.
Felicemq; vocant lucem cretâq; notandam
Quâ lepedo es Cyprii lapsus ab orbe poli.
Cur ergo tibi non grater mellitule amice
O RUDI, applaudunt Numina tanta cui?
Non tua displicuit mihi conversatio quicquam
Utraq; cum fidus pectora junxit amor.
Vel quia nos patrii tulit atq; enutriit unum
Clima soli, quod nos incitat usq; magis,
Vel quia nos eadem docti pallatia Phœbi
Tam tenuisse juvat, quàm coluisse juvat.
Maeste labore tuo, quem præmia digna manebunt
Jam jamq; excipiet non moriturus honos.
Maeste labore tuo, quo se effert læta juventus
Unde hilares sperat cana senecta dies,
Perge illo Sapientum oculo Duce; cui Pater ipse
Assurgit Phœbus, Pieridumq; Chorus.
Auspice quo facile est Scopulos evadere falsi
Atq; unã veri simplicis ire viam.

f.

*Φιλαδελφίας ἐνεκα, ἀπαις
ἐμπεπλεγμένῃ ἀρχόλαις*

Johannes Dietlmajerus
Ratisb.

M. MICHAELIS WOLFII
 Physices Profess. Publ.
 DISQUISITIONUM ORGANICA-
 RUM VICESIMA PRIMA.

De
 ADSTRUENDIS
 ET EVERTENDIS
 PROBLEMATIS, INVENTIONE
 medii & divisione è cap. 27. 28. 29. 30. 31.
 & 32. l. i. prior. Anal.

Respondente
 JOHANNÉ GEORGIO RÜDIO,
 RATISBONENSI.

CONTINUATIO.

Proximè Syllogismos modales sub manibus habuimus. Nunc ordo quidem postularet, ut nos ad seqq. tria capp. 24. 25. & 26. conferremus; Verùm quoniam in illis de Quantitate, & qualitate terminorum Syllogismi, uti & de numero terminorum & propositionum, quæ etiam in superioribus disputationibus aliquà ex parte attigimus, agitur: idcirco illa jam ventilabimus, quæ titulus & inscriptio disputationis presentis pollicetur.

THEOREMA I.

Problematum alia *facilius*; alia *difficilius* adstruuntur, aut evertuntur.

SS

SECTIO



*N*equam ad id accedamus, quo de principaliter agere constituimus; haud possumus caput illud intactum relinquere, in quo Aristoteles docet, quomodo in quâq; figurâ problemata adstruantur aut evertantur. Videtur enim hoc unicum in tractatu primo, qui est de Syllogismo formaliter considerato reliquum esse: igitur illo excusso & ventilato ad subseq. transitus erit facilius, praesertim cum affinitatem illis cum habeat.

Quid probatu facilius in genere.

2. In genere autem dicendo, quodnam problema facilius; quod vero difficilius confirmetur aut refutetur, certum est illud probatu facilius esse, quod in pluribus figuris modisq;, qui casus h.l. appellantur, probari potest; e contra vero difficilius, quod in paucioribus figuris ac modis.

Problem. Univers. affirm.

3. Sic quoniam Universalis Conclusio affirmans, duntaxat in 1. Fig. mod. Barbara confirmari potest, particularis vero negans in omnibus tribus figuris, semel in primâ, bis in secundâ, & ter in tertiâ: manifestum evadit, quod, quemadmodum illa difficillimè, ita haec facillimè adstrui possit & confirmari.

Univers. negans.

4. Duplici autem ratione problema Universale affirmans evertitur, primum per suum contrarium, quod est Universale negans, deinde per suum contradictorium, quod est particulare negans. Sic si ve ostenderit nullam voluptatem esse bonam, sive quandam non esse bonam, corruet illa Universalis Conclusio, Omnis voluptas est bona.

Particul. affirm. & negans.

5. Eundem ad modum, h.e. per suum contrarium & contradictorium evertitur Universale negans, nisi quod illud in pluribus figuris ac modis, adeoq; facilius, ut semel in 1. & bis in secundâ Fig. confirmari possit.

Disput. 5. theor. 3.

6. Porro problema particulare, tam affirmans, quam negans evertitur tantum per contradictorium, non vero per contrarium. Sic si evertere velis hanc: Quidam homo est justus, non assumenda erit illa, quidam homo non est justus, sed illa, nullus homo est justus. Ratio hujus rei est, quia in particularibus duo Contraria possunt simul esse vera, cum haud fiat respectus ad idem subjectum, ut alibi monuimus; in contradictoriis autem, si particularis sit falsa, necessario Universalis erit vera.

7. Ni-



7. Nihilominus tamen collatione factâ cum Universalibus, omnia particularia facilius, quàm Universalia probari possunt, nam ut sect. 2. innuimus, quæ in pluribus figuris & modis probantur, ea quoq; facilius probantur. Atqui particularia in pluribus figuris ac modis probantur, ut patet. Ergo.

8. Etsi verò universale per particulare licet refellere, & contrà particulare per universale, idem tamen in confirmando concessum non est, quia particulare confirmatur quidem per universale veluti benè sequitur: O. homo est animal: Ergo, quidam homo est animal; non tamen universale per particulare confirmari potest, veluti non sequitur: Quidam homo est justus. Er. omnis homo est justus.

9. Summatim autem loquendo de problematis, dicimus cum Aristotele: τὸ ἀνασκευάζειν ἐστὶ τῆς κατασκευάζειν ἥϊον, refutatio confirmatione facilior est: habet enim illa sese ad modum dissolutionis, sicut hæc ad modum compositionis. Ast tam in arte, quàm Naturâ difficilior est compositio, quàm dissolutio, juxta illud Lucret. lib. 1.

Refutatio cur facilior confirmatione.

Nam quidvis citiùs dissolvi posse videmus Quàm rursus refici

Unde etiam corollarii loco subijcimus, primos rerum Inventores semper plurimos habere Censores & Aristarchos; Imitatores verò paucissimos: nam quemadmodum Græcorum Proverbium sonat: ἥϊον ἐστὶ μωμᾶσθαι, ἢ μιμῆσθαι.

THEOREMA II.

Hactenus περὶ τῆς γενέσεως sive structurâ Syllogismorum: nunc περὶ τῆς ὁμοειδίας τῶν δευτέρας sive de parandâ copiâ propositionum.

SECTIO I.

Ea quæ lib. 1. Analyt. prior. tractantur, optimè in tres tractatus seu sectiones principales dispescuntur. Primum enim Syllogismorum structura seu compositio habetur, quam postea utilissima doctrina de medi termini Inventionem excipit; & à quâ deniq; ad Syllogismorum resolutionem fit transitus, ordine certè elegantissimo, & nunquam satis laudato.

Tres sunt tractat. lib. 1. post. Analyt.

2. Quemadmodum enim futuro Architecto haud sufficit nosse, quo-



quomodo è lignis cœmentisq; suppeditatis domus possit exstrui; verùm etiam necesse est, ut sibi vires suppetant, quibus ligna, cœmenta, aliãq; comparet, & acquirat; eãdem ratione haud satis est ad perfectionem Logici, scire, quomodo datis terminis Syllogismus sit conficiendus; verùm etiam quomodo datã quãcunq; conclusione, medium ad probandum conclusionem excogitari queat.

3. Id quod nos aurea doctrina de mediis termini Inventionem docebit optimè, ut hãc vice videbimus. Quamvis de nonnullis prius monere oporteat, quorum unum est, nobis hic esse $\iota\sigma\delta\upsilon\alpha\mu\epsilon\nu\tau\epsilon$, sive quis doctrinam, quam sub manibus habemus de Inventionem Medii sive de parandã copiã propositionum indigitare velit. Videtur quidem Monlor. in suo Comment. sup. l. i. prior. Analyt. inter hæc duo distingvere, dum cap. 28. titulum facit, de parandã copiã pronuntiatorum; sequenti verò de Inventionem Medii; verùm cum propositiones constent è terminis, termini verò duo puta Majus & Minus extremum sponte sese offerant in conclusione; nihil aliud, nisi ipsum medium videtur inveniendum esse.

4. Præterea, quoniam omnis Medius terminus, vel è loco Antecedentium, vel Consequentium, vel Repugnantium desumendus est; igitur, quid per illa intelligi debeat, paucis aperiendum est.

Anteced.
Conseq. &
Repug. h.
l. quid si-
gnificent?

5. Antecedentia autem hoc loco illa vocamus, de quibus Universaliter res illæ affirmantur, quarum respectu sunt antecedentia; Consequentia verò quæ Universaliter de illis rebus dicuntur, quarum sunt Consequentia. Unde apparet, Antecedentia semper locum subjecti tenere, habitã scil. ratione suorum Consequentium, uti est species respectu sui generis, & individuum respectu speciei; homo ad animal, Petrus ad hominem; Econtrã Consequentia semper predicari de iis quorum sunt Antecedentia, uti est Genus summum & subalternum respectu speciei & individui; definitio item & proprietates, velut hæc omnia, substantia, corpus, animal, rationale, risibile, docibile sunt consequentia respectu hominis. Ideò quoq; hoc nominis obtinent, quia posito Antecedente, statim ponitur Consequens; sed posito Consequente, Antecedens statim poni necessum non est, veluti dato homine, datur quidem animal; sed non vice versã. Repugnantia deniq; dicuntur illa, quæ de alio, & de quo aliud planè negatur, ut sunt Contraria, disparata, veluti Homo negatur de Leone, Leo de Homine, siquidem non dico; Homo est Leo. Nunc ad rem propius.

THEO-

Ad inventionem Medii conducunt præcepta, quæ partim sunt *Generalia*, partim *Specialia*.

SECTIO I.

Præcepta generalia illa nobis sunt, quæ omnibus problematibus sunt communia; specialia verò quæ singulis problematibus propria existunt. Illa materiam Syllogismi respiciunt, hæc verò formam.

2. Antequam verò Præcepta Generalia afferantur, duæ hypotheses præmittuntur, quarum una est, omnes res in tria genera dividi, siquidem 1. quædam duntaxat subjiciuntur ut singularia, nisi quod quandoque per Accidens predicantur, ut alibi ostensum; quædam 2. tantum attribuuntur, ut summa genera in Categ. quædam 3. & subjiciuntur & attribuuntur, ut sunt genera intermedia & species. Altera, cum primi & tertii generis res non veniant in demonstrationes, illæ quidem propterea, quia semper predicantur, hæc verò quia semper subjiciuntur: colligere hinc est de secundi generis rebus omnes ferè & maximè esse disputationes topicas & scientias, quas etiam præcepta sequentia ut plurimum respicient.

3. Quod verò Ram 1. 7. Schol. Dial. c. 14. objicit, singularium magnum esse Usus in argumentando, item summa genera haud rarò vicem subiecti subire, ut cum dico; Nulla substantia est accidens. O. animal est Substantia Er. R. prius absolutè verum non esse ob rationem allatam. Quod verò Aristot. in post. Analyt. utitur singularibus; hoc non idèo fit quasi per se attendantur, sed quia ex illis universales propositiones, adeoque veritatem Syllogismi colliguntur, vel quia per illa verorum Syllogismorum media illustrantur. Similiter quod summa genera subiectum quandoque sunt in Syllogismo, id non fit ratione inferiorum quæ iis subiecta sunt, quo de loquitur potissimum Aristoteles; sed quatenus aliud de illis, vel illa de alio negantur, sed quid opus est hæc prolixitate. Non dicitur, res secundi generis duntaxat huc pertinere, sed ferè & maximè, unde reliqua duo genera simpliciter non excluduntur.

4. Caterum 1. præceptum generale est, ut ante omnia quæstio^{1.} de quâ

Ss 3

Præcepta
generalia
& specialia
quid significent?
CAP.
XXVIII.
Præmunitiones
præcept.
generalium.

Obj. Rami.

Respon.
sio.

de quâ futura est disputatio, proponatur. *Nec sine ratione: illa enim est τὸ τέλος & σκοπιμὸν τῶν, ad quod omnes generis probationes collimare debent, ut manifestum.*

2. 5. *Secundò; eadem quæstio in subjectum & prædicatum resolvatur, & utriusq; tum definitiones, tum proprietates si-ve Antecedentia & consequentia quærantur.*
3. 6. *Tertio; Adsumantur illa, quæcunq; rei inesse repugnant. Quod præceptum facit ad negantem Conclusionem. Ubi tamen monet Aristoteles, non necesse esse, ut sumantur illa quibus subjectum & prædicatum repugnant; nam cum universalis negans (ad quam in hoc præcepto respicitur) simpliciter convertatur: igitur sufficit, si illa sumantur, quæ subjecto & prædicato, non verò statim quibus prædicatum & subjectum repugnat.*
4. 7. *Quartò, ea quæ subjectum aut prædicatum quæstionis consequi dicuntur, diligenter distingvantur. Quædam enim in quid de aliquo prædicantur, ut Genera, differentia & definitiones de speciebus; quædam verò in quale ut propria & accidentia communia.*
5. 8. *Quintò rursus videndum est, quænam Consequentia δοξαστικῶς secundum opinionem, quæ verò κατ' ἀλήθειαν attribuantur. Nam licet quis citius propositiones ad concludendum inveniat, si pluribus abundet Consequentibus; certum tamen est, quòd, quò magis illi veriora suppetunt, eò magis quæstionem demonstrat, ut per se patet.*
6. 9. *Sextò sumantur ejusmodi Consequentia, non quæ partem rei sequuntur; sed quæ rem totam. Ratio est, quia sicuti ex illis quæ rem totam consequuntur propositiones universales, ita ex iis quæ partem rei consequuntur, particulares efficiuntur. Atqui ex illis non verò ex hisce constat ratiocinatio; quod non ita accipiendum est, quasi particulares per hoc præcept. à Syllogismis excludantur; sed quia habitis universalibus facile colliguntur, sed non contra. Sic quoniam ex parte hominem consequuntur esse Musicum, Grammaticum; (non enim omnis homo; sed quidam est Musicus, Grammaticus &c.) igitur ad probandum assumenda non sunt; sed quæ omni homini insunt, cujusmodi est esse bipedem, docilem. &c.*
7. 10. *Septimò: Simili ratione sumenda sunt ejusmodi Antecedentia è quibus tota res aliqua consequitur, ob eandem rationem, sect. præced. allatam. Sic quoniam ex hisce Antecedentibus, esse album,*

+ particulares

album, animatum &c. in parte tantum consequitur, quoddam anima- 283
tum est animal; igitur missa fiant, & sumantur e.g. illa, homo, Canis,
Leo, sic enim efficietur conclusio universalis O. Homo est animal, &c.

11. Octavo: Non ita sumatur Consequens, quasi totum s.
sequatur, h. e. cum nota universali, sed simpliciter ut Conse-
quens, alias inutile erit & impossibile. Inutile propterea quia si vel
maximè verum esset dicere, Omnem hominem esse Omne animal, æque
tamen concluderem ac si dicerem; O. homo est animal. Impossibile,
quia falsum est dicere, O. hominem esse omne animal, cum etiam canis
sit animal. Vid. l. de Interpret. c. 5.

12. Nonò: sumantur Consequentia proxima: non verò 9.
remota. Sic quæ animal consequuntur, non sunt annumeranda iis,
quæ hominem consequuntur; ratio est, quia semel ita sumta sunt in con-
sequentibus animalis. Jam verò quæ Animalitatem tanquam generi attri-
buuntur: illa quoque homini tanquam speciei attribui necesse est.

13. Decimò: Eadem ratione repugnantia illa eligantur, quæ 10.
e.g. speciei; non verò quæ generi inesse nequeunt, ob causam
jam dictam.

14. Undecimò: Similiter sumantur Accidentia proxima, II.
veluti, cum ponis Antecedentia Animalis ut hominem, non sunt ponen-
da Antecedentia remotiora, cujusmodi sunt esse Musicum, Grammati-
cum &c. per hominem enim tanquam Antecedens propinquius hæc o-
mnia quasi importantur.

15. Duodecimò: Eligantur etiam illa, quæ ὡς δὲ τὸ πλὸν ple- 12.
rumque consequuntur vel antecedunt. Faciunt enim ad colli-
gendas conclusiones ut plurimum veras, sic non solum illa sunt sumenda,
quæ semper homini insunt, cujusmodi sunt, esse animal, esse rationale,
sed etiam quæ plerumque, ut hominem generare hominem duabus ma-
nibus, virum emittere barbam &c.

16. Decimotertiò: Negligantur illa quæ omnibus sunt Con- 13.
sequentia. Illa enim si jungantur duobus extremis conclusionis, fiet
Syllogismus affirmativus in secundâ Fig. quod per se non valet.

THEOREMA IV.

Præceptorum specialium Quatuor sunt,
pro quadruplici concludendi ratione.

SECTIO



SECTIO I.

Primum praeceptum speciale concernit Conclusionem universalem affirmantem & sic sonat: Ad probandam Conclusionem Universalem affirm. sumatur ejusmodi medium, quod majus extremum antecedit Universaliter, & ad minus extremum Universaliter consequatur. Sic, sit probanda haec conclusio, O. hominem esse substantiam, sumo animal vel corpus vivens, tanquam id quod universaliter consequitur ad minus extremum, quod est homo, & simul universaliter antecedit majus extremum, quod est substantia, ac efficio Syllogism. in Barbara 1. Fig. O. animal est substantia; Atqui omnis homo est animal. Er. omnis homo est substantia.

2. *Secundum Praeceptum spectat ad conclusionem particularem affirmantem, quod tale est: Conclusio affirm. particularis requirit medium, quod vel utrumq; extremum antecedit, ut in modis tertiae figurae, vel quod antecedit majus, & consequatur minus, ut in Darii 1. Fig. Sic sit probanda haec Conclusio, quandam voluptatem esse honestam, sumo medium, quia Musica est honesta, & sic concludo in Darapti. O. Musica est honesta. O. Musica est voluptas. Er. quaedam voluptas est honesta. Quod si minor conversa fuerit, & quidem per accidens, habebis in Darii, juxta modum praescriptum ita: Omnis Musica est honesta: Quaedam voluptas est Musica. Er. quaedam voluptas est honesta.*

3. *Tertium praeceptum est de Universalis negante, quod ita se habet. Ad Conclus. Universal. neg. ejusmodi requiritur medium, quod vel majori extr. repugnet, & ad minus consequatur Universaliter, vel repugnet minori, & ad majus Universaliter consequatur. Priori modo respicit primam Fig. & modum Celarent, poster. secundam, & mod. Cesare & Camestres.*

4. *Quartum praeceptum ad problema part. negans pertinet hoc modo: Ad concludendum probl. part. neg. tale investigetur medium, quod majori extremo vel universaliter, vel particulariter repugnet, & vel antecedit minus, vel consequatur ad Majus, & repugnet minori. Pertinent huc modi, Ferio in 1. Fig. Festino & Baroco in 2. Felapton denique Bocardo & Ferison in 3. Figura. Exempla quis proprio Marte facillimè potest addere praesertim si schema vulgare, quod accuratè à Jul. Pacio l. 1 prior. Analyt. & Monlor. ibid. descriptum est, in manibus habeatur.*

s. Olim

5. Olim illud PONS ASINORUM propter apparentem 285
quandam difficultatem, ut inquit Tatar l. i. prior. Anal. indigita- Pons Asi-
batur; quæ tamen appellatio nunc ferè in desuetudinem abiit, dum Phi- norum.
losophastri nonnulli eos, qui hanc doctrinam sibi curæ esse patiuntur,
Asinos appellare non erubescunt, de quibus tamen rectius versiculum Ram. l. 7.
illum, quem ibid. invenies, usurpaveris Sch. Dial.
c. 14.

Non pergunt Asini per pontem, sint nisi cauti.

6. Atq; hæc speciatim de Inventione Medii ratione formæ dicta sunt, cuius quidem præcepta ad singulos modos singularum Fig. facile, ut dictum, accommodabis, quemadmodum & ipse Aristot. in textu fecit, nisi quod is nonnulla problemata particulariter concludentia omisit, propterea forsân, quia cognitæ Universalibus particulares facile intelliguntur, ut inquit Jul. Pac. d. l. c. 29.

7. Summatim autem loquendo è dictis perspicuum est; totam inveniendi rationem positam esse in Anteced. Conseq. & Repug. ita tamen ut hæc ipsa ab utrâque parte problematis spectari debeant, ut monet Arist. h. c. §. 12. Nam si dixeris Medium hoc vel illud ab Anteced. esse sumptum, non verò à Conseq. aut Repug. simul, medium imperfectè erit inventum. In quibus tota ratio Inventionis consistat.

8. Et quemadmodum ad confirmanda & refutanda problemata, illæ potius propositiones sunt sumenda, quæ universales sunt: ita quoque hæc ejusmodi Anteced. Conseq. & Repugnant. sumenda erunt, quæ maxime sunt Universalia §. 13. Qualia debeant esse Ante. Conseq. & Repug.

THEOREMA V.

Doctrina de Inventione Medii continet quoque Syllogismos ad Impossib. ducentes, Modales, Hypotheticos & alios quoscunq;.

SECTIO I.

Syllogismos ad impossibile ducentes, Arist. l. i. post. Anal. c. 23. CAP. XXX.
vocat illos, quibus falsum quidem concluditur; sed illud quod ab initio tanquam verum propositum erat, ex hypothese ostenditur, ut si velim probare deductione ad Impossib. O. hominem esse animal, tunc sumo ejus contradictoriam quidam homo non est animal, & præsuppono illam esse veram, si sc. evicero hanc, quidam homo &c. esse falsam. De quo plura l. 2. prior. Anal. cum eò pervenerimus.

Te

Hofce

2. Hosce autem ut & modificatos eadem arte inventionis Medii uti, inde manifestum est, quia revocantur ad Categoricalos, ut probatum l. 1. prior. Analyt. c. 23. tum quia planè fiunt eâ ratione, quæ superius à nobis fuit tradita ut docetur cap. 29.

3. Syllogismorum Hypotheticorum alii simplices sunt, alii mixti, & horum Aristoteles alios cap. præsentis §. 6. vocat κατὰ μετόληψιν, secundum transsumptionem; alios κατὰ ποιότητα secundum qualitatem. De quibus quid certò statuendum sit, non usque adeò est manifestum, nec nostri est instituti fusius h. l. persequi, quamvis interim Jul. Pac. in suo comment. de hoc ipso possit consuli.

4. Verùm enimverò quemadmodum Syllogismi ad Imposs. ducentes species quædam sunt Syllogismorum hypotheticorum, ea propter, quoniam ex hypothese concludunt, ut docuit Arist. c. 23. h. lib. ita Syllogismos Hypotheticos eodem artificio confici, in textu probatur hâc ratione, quia illorum media non minus quàm cæterorum ex Antec. Conseq. & Repug. inveniuntur. Atque idem de aliis argumentationum generibus judicetur.

THEOREMA VI.

Ead. doctrina ratione usus, cum in Philosophiâ, tum in omnibus disciplinis est conspicua.

SECTIO I.

CAP.
XXXI.

Ratio hujus assert. è dictis non potest non esse manifesta; nam cum in omni disciplinâ aliquid cognoscamus, & verò omnis cognitio fiat per medium, quod vel ex Antec. & c. sit desumptum; idcirco nemo non videt usum doctrinæ de Medii Inventione ad quasunque scientias artesq; diffundi.

2. Sed quomodo singularum rerum Antec. Conseq. & Repug. perquirentur, cum earum principia sint per multa? R. Consulenda est experientia, utpote cujus proprium est, unicujusq; rei principia tradere. Sic Experientia Astrologica Astrologiæ principia ministravit; postquam enim eius cultores observarunt, Lunam pro diverso ad Solem accessu vel recessu, modò illuminari modò lumine destitui; collegerunt inde, Lu-

de, Luna lumen esse mutuaticium, & sic in aliis artibus & scientiis. Hinc
 l. i. Metaph. c. i. rectè dicitur, Experientiam Scientiæ & arti ferè si-
 milem esse, & per Experientiam, artem & scientiam hominibus prove-
 nire: nam ut ibid. Polus ait: ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δὲ ἀπει-
 ρία τὸ χυρ.

3. Videtur hisce Arist. obesse, quando l. 6. Eth. c. 9. ait: Juve-
 nes quidem posse evadere Mathematicos, sed non Pruden-
 tes; ea propter, quod experientia destituantur: verum responsio
 facilis est, quia non hoc vult d. l. Arist. quasi Mathesis nullâ præeunte Ex-
 perientia sit Inventa, aut quasi sine eâ Mathesin juvenes addiscere pos-
 sint, hoc enim falsum esse patet ex dictis; sed quia in prudente particu-
 larium læpè factorum requiritur experientia, quâ tamen Juvenes
 cum Mathesin (simplicem præcipuè) addiscunt, carere possunt. Vel
 dicendum est, Arist. l. c. comparative fuisse locutum, nimirum Mathe-
 seos Studiosos non tam egere experienciâ, quàm Prudentes, quod verissi-
 mum est, quia hi necesse habent, particularia experiri; illi verò præser-
 tim Geometra & Arithmetici non item, utpote quibus sufficit in genere
 scire, triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales; non sta-
 tim hoc vel illud triangulum ita esse comparatum. Objici etiam so-
 let ex Hippocrat. experimentum esse fallax, verum de hisce atque aliis
 videantur Interpr. l. i. c. i. Metaph.

4. Patet autem ex hisce omnibus quæ allata sunt, quomodo uni-
 versaliter propositiones eligere oporteat; quamvis de hâc re, & quidem
 quomodo Syllogismos Topicos facillè ad manus habere possimus, exquisite
 actum sit in Topicis.

THEOREMA VII.

Divisio est particula quædam istius Me- CAP.
XXXII.
 thodi, quâ Medium invenitur.

SECTIO I.

Divisio, generatim de eâ loq. nihil aliud est, quàm quâ totum in suas Divisio
quid?
 partes distinguitur; ut ita tot ferè divisionum genera possint constitui,
 quot modis totum aliquod in suas partes, quæcunq; etiam illa sint sive es-
 sentiales, sive integrales sive universales &c. potis est dividi. Quotu-
plex?
 autem ejus quinque species (de quibus videri potest Boët. l. de Divis. Crell.

Crell. part. Com. 1. 3. c. 12.) recensentur, inter quas tamen maxime principalis est illa, quâ Genus in suas species disspescitur, ac de quâ potissimum Arist. hoc c. loquitur, eam esse particulam illius methodi, quâ medium invenitur.

2. Eâ verò ratione divisio Generis in species particula quadam est doctrina de Invent. Medii, quatenus est imbecillis quidam Syllogismus ut mox ostendetur. Unde manifestum est hoc loco non ex professo de divisione agi, sed saltem ostendi, veteres errasse primum in eo, quando divisionem habebant pro diverso à Syllogismo instrumento Logico, cum tamen eâ ut Syllogismo uterentur. Secundò, haud intellexisse, quid dividendo concluderent, nimirum quod principium peterent. Platonem quem videtur Aristoteles respexisse, Philoponus excusare conatur; verum cum in Sophista ex aliquot locis appareat, eum voluisse, quasi necessariâ quâdam ratione è divisionibus definitio colligatur, excusatus haberi vix poterit. Vid. Monlor. in Schol. sup. cap. 32.

3. Caterum etsi divisio pro Syllogismo Imperfecto agnosci potest, ea propter, quod semper aliquid è superioribus, tanquam positis concludat, reverà tamen Syllogismus non est, quia ut dictum, semper petit quod probari oportebat, veluti hoc ita potest ostendi. Probaturus enim beneficio divisionis hanc Conclusionem. O. homo est animal rationale, eum quidem in finem ut hominis definitio investigetur: sumo animal tanquam genus hominis (nam aliter progredi licet) illudq; divido differentiis oppositis, quæ sunt rationale & irrationale, & sic arguor. O. animal vel rationale est vel irrationale; Atqui homo est Animal. Er. homo vel rationalis est vel irrationalis. Hic quilibet videt non concludi id quod erat concludendum, siquidem probatur, hominem vel rationalem vel irrationalem esse, cum tamen probari debebat hominem esse rationalem. Quoniam ideoq; posterior hæc Conclusio, vi ipsius divisionis haud obtinetur; sed saltem precario; verum erit, quod jam diximus, videlicet semper divisione principium peti.

Ram. obj.
duæ.

4. Contra hæc insurgit Ram. l. 7. Sch. dial. c. 14. negando quod divisio sit ἀσυνλόγιστος & inquit enim Syllogismum modò propositum firmum esse, & constantem, cum sit in 1. Fig. legitime formatum, item, merum sophisma esse, si dicatur divisione peti principium, ea propter, quia si è proposito Syllogismo fiat
dis-

disjunctus (O. homo aut rationalis est aut irrationalis; Atqui non est irrationalis, Er. rationalis) omnino concludatur, nec principium petatur. 289

5. Verum ad utrumque nullo negotio responderi potest, quia licet Dilutio. Syllogismus ex divisione procedens sua constet forma, quia tamen non probat quod debebat probare, igitur merito pro imbecillo Syllogismo habetur. Committitur g. Elenchus non causa. Ad secundum dicitur nequaquam divisione simpliciter probari hominem esse rationalem, sed quatenus unum ejus membrum de homine negatur: unde non potest non alterum inferri presupposito quod divisio legitime facta sit. Idem judicetur de aliis.

6. Quibus sic constitutis liquet simul divisionem non esse Demonstrationem, veluti hoc argumento illud ostendi potest: quia in omni Demonstratione medium non debet esse latius Majori extremo; sed potius vice versa Major extremum latius patere Medio; jam vero in divisione medium semper est communius, ut patet ex allato exemplo. Ergo. Divisio non est demonstratio.

7. Iterum hic Ramus d. l. Aristotelem carpit inquit, eum sua Alia Rama. Obj. doctrina memorem non esse, quando in post. Analyt. ait omnem demonstrationem ex causa propria esse, nec ideo medium esse minus majori extremo. Verum isse non intelligit, quomodo Medium debeat semper esse angustius majori extremo, nimirum ita ne latius pateat majori extremo, veluti expresse in textu fuit additum. Quod vero in post. Analyt. dicitur, medium demonstrationis, debere esse ejusdem latitudinis cum Majori extremo: id nobis non obest, quia licet hoc ipsum sit; ea tamen ratione minus est majori extremo, qua huic subicitur, quod proprium est eorum que minora sunt seu angustiora. Dilutio.

8. Sed esto, divisio vim habeat evertendi aliquod problema, certum tamen est, quod ad evertendum problema negans inepta sit, utraque enim propositio in Syllogismo divisivo affirmans est, cum tam differentia de genere, quam Genus de specie affirmativè enuncietur. Divisio ad qua inutilis?

9. Similiter haud valet ad probandum Genus, Proprium vel Accidens; sed tantum ad definitionem: quamvis neque in hac multum praestet, siquidem ut dictum est, principium petit.

10. Ad summam si vel maxime ubi vis valeret, ejus tamen usus nullus esset in iis de quibus dubitatur, utra differentia sit attribuenda. Sic dividendo hominem, quod sit mortalis vel immortalis, liceret quidem concludere, Petrum vel Paulum esse mortalem, quia notum esset, hominem

290. *minem non esse immortalem sed mortalem; verum si diceretur, Di-*
metrum communem habere mensuram, cum costâ quadrati, vel non ha-
bere, nescires, utrum membrum concludi deberet, adeoq³ necesse esset, ut
nontam divisione quàm Syllogismo Topico vel Apodictico utereris.

ii. Quae tamen omnia non ideò à nobis dicuntur, quasi divisionem
prorsus inutilem, ut falso Ramus Aristot. imputat, judicemus, sed quod
ad ea quae supra commemoravimus parum vel omninò nihil conducant.
Quas autem utilitates divisio secum ferat l. 2. post. Anal. judicatur.
Hoc unicum placet addere: illud philosophandi genus admodum
sterile esse & infœcundum, quod ut plurimum divisiones &
cum primis διχοτομίας crepare novit. Quasi verò tantum
presidium in iis situm esset, nec potius ratio, quae anima
est totius Philosophiae, preferenda!



Quo-

Quoniam adhuc aliquid pagellæ superest, ideò seqq. subjungere placuit.

1.

An Angeli constent ex Materia propriè sic dicta? N.

2.

An Angelis definitio Naturæ propriè competat? N.

3.

An omnia præter Deum sint Materialiata? N.

4.

An bona sit hæc nova Physicæ definitio? Physica est ars Entis, rei Naturam conolcendi? N.

5.

An causa cause sit causa causati? Dist.

6.

An ex intentione Natura producat monstrum? N.

7. An

7.
An frigiditas sit Qualitas activa? Aff.

8.

An lapides sint animati? N.

9.

An ὁπλιατεία ullâ ratione Physicâ defendi
queat? N.

10.

An anima sit tota in toto corpore, & in
quâlibet ejus parte tota? Aff. cont. Timpl. l.
I. ἐμψυχ. c. q. 12.

11.

An anima rationalis sit vera hominis
forma? Aff.

12.

An in bruta cadat electio? N.

13.

An juramenta sint licita? Aff.

14.

An vir bonus sine laesione Conscientiae pos-
sit divitias possidere? Aff.

15.

An qui justè agit, statim sit dicendus ju-
stus? N.


16.

An vim vi repellere liceat? Aff.

17.

An αὐτόχειρες sint fortes dicendi? N.

DISQ. XXII.



ξὺν Θεῷ
DISQVIVISIONUM OR-
GANICARUM VICESIMA
PRIMA.

De
ADSTRUENDIS
ET EVERTENDIS
PROBLEMATIS, INVENTIONE

Medii & divisione è capp. 27. 28. 29. 30.

31. & 32. l. i. prior. Analyt.

QUAM

in Illustri Academia SALANA

PRÆSIDE

M. MICHAELE WOLFIO,
Philosophiæ Naturalis Professore
Publico.

Pro viribus tuebitur

JOHANNES GEORGIUS RÜDIUS,
RATISBONENSIS.

Ad diem 8. Novembris,

Horis locoq; consuetis.

F E N Æ

Typis Johannis Beithmanni.

ANNO . M. DC . XVI.

32
VIRO
Clarissimo, Hu
ac Doctiss. Sn
Johanni Wilcober
Cas. Gymna
trij Ratisb. Con
ri digni s. Prae
ri et Fautori om
servantia Colend.